

bilitatem sunt, vel duces, qui omnimodo spectabilitate sunt decorati: vel ii qui a principe delegati sunt, spectabilem habeant dignitatem: eorum appellationes sub quacunque quantitate in hanc regionem urbem ad competentes antiquo more iudices referantur. Omnibus aliis quæ de appellationibus statuta sunt vel ab antiqua prosapia, vel ab auctoritate anteriorum constitutionum, vel a nostra humanitate, intactis illibata isque custodiendis. — Dat. kal. Jul. Constantinop., post BELIS. V. C. consul.*

DE APPELLATIONIBUS, AD QUEMNAM REMITTANTUR, SI RES OB QUAM APPELLATIO INSTITUITUR, NON SUPRA AURI LIBRAS¹² DECEM VALEAT.

Epitome superioris.

Non principalis litigator duntaxat, verumetiam procurator ejus, defensor quoque et curator et tutor intra decem dies a lata sententia provocare potest. A prætoriorum præfectis provocare non licet¹³.

CAP. I.

Si dum principi¹⁴ appellationis causam audire non vacat, legitimum tempus decurrat, nullum hinc liti præjudicium gignitur. Quando ad principem ejusque consilium provocatur, si lis ipsa decem libras auri non exsuperet, illam in Ægyptiaco tractu, et adjuncta ei utraque Libya præfectus augustalis audiet, et cognoscat: in Orientali autem tractu comes Orientis: in Pontico vero, et Asiatico, spectabiles comites, proconsules, prætores, et denique moderatores, si quidem hoc specialiter ipsis injunctum fuerit. Qui omnes sacrum habebunt auditorium, neque quisquam eorum sententiam de appellationis causa latam poterit detractare.

CAP. II.

Quando a spectabilibus præsidibus provocabitur, sive res litigiosa plus decem libris auri, sive minus valeat, prætoriorum præfectus una cum questore, ipsis utraque cohorte ministrante, de illa cognoscito.

TIT. III.

DE PRÆSIDE¹ PISIDIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXIV.

Imp. Justin. August. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Nunquam sane credidimus, veteres Romanos ex parvis adeoque minutissimis principiis tam amplam constituere rempublicam, et totum exinde terrarum orbem (pene dixerimus) sibi adjungere, et premere ac tueri imperio potuisse, nisi majoribus in provinciis magistratibus missis, plus ea de re dignitatis sibi comparassent, simulque illis armorum² juxta ac legum potestatem fecissent, neque non ad utrumque accommodatos et idoneos habuissent, quos quidem prætores vocabant, appellatione illis ex eo indita, quod ceteris omnibus prærent et præponerentur, permissa scilicet eis tam rei bellicæ administratione, quam legum præscriptione. Unde et ea loca in quibus publice magistratus vel jus reddere, vel habitare solebant, *prætoria*³ appellare, et ut pleræque in rempublicam leges ex viva prætorum voce inferrentur, constituerunt. Et multi⁴ prætores partim Siciliam, partim Sardiniam insulam, partim Hispaniam, partim terra marique alii aliud vel imperio adjecterunt, vel rexerunt.

CAP. I.

Hæc nos in animo reputantes, vetustatem denuo majore cum flore et vetustate quasi postliminio reducentes in rempublicam, romano præterea nomini dignitatem addentes, et videntes quod duplici in asperioribus provinciis magistratu ad hunc usque diem destinato neuter ad plenum suam sorte contentus fuerit, sed ex ea causa per quasdam nostras provincias, in quibus tam civilis quam militaris magistratus existit, semper inter se rixentur, semper pugnent, non quo subditis boni aliquid faciant, sed quo eos magis atterant: e re fore putavimus, si utrumque magistratum tam civilem quam militare in unam formam contrahamus, imponamusque denuo ei qui hanc potestatem habeat, appellationem prætoris: ut idem et militaris copiis, quæ per provinciam sunt secundum cognos-

¹² Fac. l. 1. C. de susceptiorib. — ¹³ L. un. C. de sent. præf. prætor. — ¹⁴ c. 2, supr. hic.
¹⁵ Tit. III. — ¹ N. 25, c. 2; N. 51, c. 3 — ² Fac. L. 7, in fin.; L. 8, D. de offic. procons.; L. 10, l. 1, D. de offic. præsid. — ³ Fac. L. 14, C. de offic. rect. prætor. — ⁴ L. 2, § 2, D. de orig. jur. — ⁵ c. 4, in d. hic. — ⁶ d. c. 4. — ⁷ proem. Inst. in pr. — ⁸ N. 25, c. 1, § 2.

mentum antiquitus illis impositum præeat, et præficiatur legibus: si quidem et hoc initio prætorum erat proprium: et cum utriusque officii annonas habeat, una tantum cohorte utatur ex centum cohortalibus, (tot enim ei sufficient) quæ prætoriana cohors appelletur, et per⁵ probatorias convenienter hinc procedentes constituatur. Ita enim dignitate⁶ plenus erit, ita atrocitatis exercentibus terribilis, ita injustis inevitabilis: si majore cum potestate omnia conficiat: et cum lex jam pridem a nobis posita jubeat omnes omnino iudices puris uti manibus, ei obtemperet, et præstito juramento, secundum hanc res gubernet, tam⁷ armis utens quam civilia secundum nostras leges ordinans. Unde tametsi ex gloriosiss. consulis aliquis ad hanc administrationem accedat, nihilominus in hoc imitatio quædam priorum eluceat, qua videlicet provincias sortientes eos. consularesque viri, et non multo⁸ illis inferiores prætores, paulatim Romanorum nomen ita auerunt, et tam amplum effecerunt, quantum nulli unquam alii reipublicæ seu imperio concessit Deus. Id quod in *Pisidarum regione initium primum sumere volumus: propterea quod veteres annales scriptores⁹ prodidisse invenimus, olim Pisidarum gentem universæ illius terræ summum tenuisse imperium, et jam nunc majore et vehementiore hanc provinciam magistratu indigere, (nam et maximi in ea pagi sunt, et multi homines, et qui sæpenumero ob ipsa publica tributa seditiones movent) et prædatrix illis et sanguinaris regionibus, quæ supra vocatam et quandam insatietatem lupini capitis collocatæ sunt, et Lycoerantiarum habitaculum vocantur, hunc magistratum præficiendum credimus, qui jam inde ordine legitimo in eam progrediatur. Ac si hic magistratus sub specie quadam incursionis miscetur, componantur etiam in unum tam militaria, quam præsidalia insignia, et omnes eam militares copię sequantur, quæ in provincia sunt. Ad hæc tota civilis cohors venerando jam vocabulo appelletur, et prætoris cognomen honoretur, quis ipsum non abhorreat? quis non revereatur, simul in unum leges et arma coire spectans, et indidem conditione proposita, ut aut legibus obtemperet, si bono esse animo, et servari velit, aut, ut vel primo statim intuitu pereat, armis in proximo leges corroborantibus?*

CAP. II.

Oportet igitur, ut qui hunc magistratum suscipit (semper autem gratis¹⁰ eum, et absque ulla donatione pecuniæ ipsi conferimus, ut et ipse per omnia sordibus absteineat, et his solis, quæ ex publico solvuntur, contentus sit, id quod etiam prima¹¹ nostra lex dicit) juste et pure et cum quadam¹² asperitate humaniter se erga subditos gerat, quemadmodum in priore lege disposuimus, homicidia¹³, adulteria, raptus virginum, omne denique maleficium provincia expellat, et qui ea deliquerint, secundum¹⁴ nostras leges puniat, neminem præterea maleficiorum reverentur, etsi de potentioribus sit, neque his se submittat, qui nullam de se utilitatem, at bene nefarias de se occasiones præbere possunt: sed per omnia jus ipsum teneat, et ad nostras leges respiciat, et secundum eas judicet, et ut subditi nostri secundum illas vitam suaque studia instituant, efficiat insuper ad Deum quoque, et nostri timorem respiciat, neque præterea quicquam omnino in animo cogitet. Item ut neque crebro¹⁵ ex provincia huc commeat, neque inmodicis literis nos interpellat, sed in omnibus prior ipse audientiam accommodet, eaque disceptet, et memor, quantam illi dignitatis magnitudinem dederimus, ita se hac in re gerat, ut pro gesto magistratu causam dicere necesse non habeat, sciens, quod si quis eo adito jus suum non consequatur, compellaturque hæc ad nos referre, pro eo deinceps certamen illi nobiscum futurum est. Quemadmodum enim jurisdictionis augmento ipsum honoravimus, ita rursus si præter intentionem et opinionem nostram tradita eum administratione abuti deprehenderimus, competenti ipsum animadversione persequemur, tam Deo in hoc subservientes, quam opem ferentes legibus, sive furta eum fecisse, sive gratia forte aut inimicitias superatum, sive leges nostras transgressum esse deprehenderimus: dum enim subditos iterum exigere, et his malis, quæ usque adhuc extiterunt, mederi volumus: et magnas opes despeximus, et ad hanc dispositionem oculos convertere proparavimus.

CAP. III.

Porro non tantum ad hæc eum prospicere oportet, quæ ante a nobis dicta sunt, sed etiam curare ut affluens rerum copia sit in urbibus, ne quid civis deficiat. Inspiciat etiam in civitatibus opera¹⁶, neque in hoc seipso a se vinci patiat: sed et aquarum ductus, et pontes, et muros, et itinera publica reficiat, neque committat, ut exactores¹⁷ qui

— ⁹ Adde N. 25; L. 10, D. de probat. — ¹⁰ N. 8. — ¹¹ d. N. 8, c. 7; N. 17, c. 1. — ¹² d. N. 17, c. 2, § 3. — ¹³ L. 3, L. 6, l. 15, D. de offic. præsid. — ¹⁴ pr. Inst. de offic. judic. — ¹⁵ L. 15, D. de offic. præsid. — ¹⁶ N. 17, c. 4, in pr. et § 1; L. 7, § 1, D. de offic. procons. — ¹⁷ d. N. 17, c. 8.

illuc comitant, in aliquo subditos nostros prægravent: neque jussiones alias, quæ improbo more fieri solitæ, ex thronis excellentia tua de refectione murorum, de sternendis itineribus publicis, deque aliis, plus mille causis procedunt, suscipiat. Omnium enim horum causa, et si aliud præterea ejus generis, nemini permittet, ut subditos nostros injuriis afficiat, neque prohibet de thronis tuis sententia, quæ tale quid dicat, (jam enim hoc prohibuimus) sed solus ipse omnium curam geret. Si vero ex sacre nostræ legis sententia pragmaticam aliquam formam¹⁸ dirigamus, quam forte ad tuam emittamus præfecturam, examinabit ille prius, quæ inibi a nobis jubentur; nemini autem alii omnino copia fiet deprædandi subditos, quo magis aliquando provincias iterum refertas hominibus iterum suis civibus efflorescentes, neque undique huc confluentem videamur patriam reverti non audeant. Ideoque sancimus ne amplius excellentia tua Pisidiæ gentis magistratus pro divisis habeat, sed ut unum sit in ea spectabilis prætoris officium, quod idem et militare et civile existat: quod similiter et publicarum civiliumque rerum curam gerat, et militibus præeat, ut mutuo auxilio et jurisdictione ex armis vires colligat, et cohors armata condecoretur lege. Neque enim deinceps aliqua per urbes orientis seditio, si talem de cætero virum præfecerimus, qui utroque nobis officio dignus putabitur.

CAP. IV.

Quæcunque igitur fiscus erogaturus est, ea secundum subjectam huic sacre nostræ legi descriptionem spectabili prætori, circaque ipsum versari solitis præstari jubemus. Unde et sacre nostræ appellationis notam præponi volumus, et qui Pisidiæ præses erit, is prætor Justineanus esto. Obtemperet autem illi prætoriana cohors, ex probatoriis¹⁹ (ut diximus) constituenda, quæ similiter tam civilibus quam militaribus hominibus juxta et rebus occupata sit. Ad hæc publicorum quoque tributorum exactio hunc præsidem cohortemque ejus respiciet, et omnia magistratus habebit insignia²⁰, quæ etiam modo habet, sellam scilicet curulem ex argento, *securim quoque*, et fasces: habebit etiam inter milites adpresum²¹, adeoque et eo ipso principatum illi inter milites, qui ibi locorum sunt, tribuimus, ut ipsos et pulchre regat, et cogat in ordinem, instruatque ut non solum latrocinantes persequantur, sed etiam subditos inter se mansuetos et molestos reddant. Neque item committat, ut seditiones moveantur in urbibus aut comites quidquam ad fiscum spectans divellant, sed supra²² omnes potestatem habeat, nemine prorsus excepto. Collocat autem hic magistratus sit in mediis et in numerum spectabilium descriptus. Unde quæcunque in vicariis olim, hodie in comitibus Justinianeis Pacatiane²³ Phrygiæ et Galatiæ primæ²⁴, item spectabilis comite Orientis²⁵, spectabilibus proconsulibus sunt, ea et in hoc existant: sitque et ipse spectabilis magistratus, et appellationes quæ apud ipsum interponuntur, mittantur huc, et examinentur: sicut in cæteris spectabilibus fieri solet magistratibus, introducanturque in judicium gloriosissimi prætorum, in cognitionem causæ, adhibito etiam gloriosissimo questore sacri nostri palatii: propterea quod tametsi is magistratus nonnihil in se habet militare, tamen quia prorsus in civilem et legitimam mutatus est formam, ideo necessario eundem tenere ordinem debet, qui pro consuetudine jam olim obtinente in spectabilibus magistratibus observatus est.

CAP. V.

Quoniam vero nuper sacra constitutione conscripta promulgavimus, ut causæ appellationem, *quæ quidem quingentorum aureorum summam non excedant*, a spectabilibus præsidibus huc devolvent, in habitu et ordine sacri auditorii examinentur, sancimus, ut si qua ejusmodi causa emergat, scilicet in Pisidia duntaxat, ex delegatione sive nostra, sive alicujus gloriosissimorum nostrorum procerum, nisi qui datus est iudex spectabilis sit, ut non ad spectabilem Justinianum comitem Pacatiane Phrygiæ (id quod prius lege²⁶ determinavimus) proficiatur, sed ad ipsum deferatur in sua provincia interposita appellatio, et ipse de ea cognoscat in habitu sacri auditorii, (cohonestamus etenim magistratum hoc etiam) et perfectam illi formam imponat, non remittendam ad hanc aliam urbem, ne forte parvis de causis magnas honorum suorum perturbationes et damna litigatores sustineant.

CAP. VI.

Ut autem qui vel hoc prætoris, vel alia nobis inventa et inveniendæ officia suscipiunt, cognoscent quo tandem modo provincias eos gubernare conveniat, visum nobis est, non tantum signa eis præbere administratio-

¹⁸ d. N. 17, c. 4, in fin. pr. — ¹⁹ c. 1, supr. hic; N. 25, c. 1, vers. deinde. — ²⁰ N. 50, c. 6; L. 14, D. de offic. procons. — ²¹ N. 25, c. 1, in fin.; N. 25, c. 25. — ²² L. 4, D. de offic. præsid. — ²³ N. 8, c. 2. — ²⁴ d. N. 8, c. 5. — ²⁵ d. N. 8, c. 5. — ²⁶ d. N. 8, c. 2. — ²⁷ d.

nis in codicillos (ut vocant), sed etiam modum præscribere, secundum quem provinciam administrent, (quæ quidem, qui nos antecesserunt legislatores, consulta quædam præsidalia appellabant) ut ad hæc intentis oculis propriam dirigant administrationem, perque hanc omni ex parte subditis nostris prosint. Unde et id genus sacra mandata jussimus in sacro laterculo reponi, ut una cum codicillis præberentur, præsidibus tum jurandum, quod in sacra nostra constitutione²⁷ descripsimus, præstantibus tum omnia alia, ut nos ordinavimus, administrantibus. Subjicietur autem a nobis huic sacre legi quædam etiam descriptio, quæ exprimat quid ipsum cum deligitur, præbere conveniat occasione codicillorum officii, *sive in sacro laterculo, sive in foro gloriosissimorum præfectorum, quid rursus illi, item adessori, et circa ipsum versari solitis porrigitur ex publico: ut omnibus nota facta providentia, quam circa officia gerimus, ille incontaminatum nobis et undique spectatum suum exhibit ministerium.* — § 1. Hanc sane legem tum sacrarum nostrarum constitutionum lectio monstrabit, (jussimus enim et hanc inter eas describere) tam ipse ad effectum deduces, ut perpetuo in ipsis factis reluceat conspiciaturque.

Oportet prætori Pisidiæ annonarum, et capitum, ac reliqui solatii titulo præberi solidos ccc; ejus adessori, solidos lxxii; ejus cohorti, aureos lxi. Rursus pro codicillis administrationis oportet ipsum præbere sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubiculi, solidos lx; primicerio clarissimorum tribunorum notariorum et laterculensibus, solidos xlv; ejus adjutori, solidos lxx; cohorti gloriosissimorum præfectorum pro jussionibus et omni alia causa, solidos lx.

TIT. IV.

DE PRÆTORE¹ LYCAONIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXV.

Imp. Justinianus Aug. Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Cum ad prima illa principia, ex quibus Lycaoniam gentem, antiquarum rerum scriptores² et enarratores constituisse tradiderunt, respiciamus et quod maximam cum Romanis affinitatem habeat quodque ex eadem ferme occasione in unum coacta sit, majore, quam hactenus magistratu eam exornare, justam putavimus. Siquidem usu venit, ut olim Lycaon, qui Arcadiæ in Hellade rex fuit, et Romanum solum incoleret, et assumptis quondam Oenotriis romano imperio daret veluti principium (dicimus autem vetera illa, quæ longo ante tempore Æneæ et Romuli ætates præcesserunt) et deducta in hæc partes colonia, Pisidiæ bonam partem adimeret, eique deinde suum nomen inderet, et regionem ex se Lycaoniam appellaret. Inde adeo justum fuerit et ipsam magistratu adornare, cui veteris apud Romanos instituti signa et notæ inscribantur, et illos, qui hoc ipsam tempore regunt (de præside civilis jurisdictionis loquimur, et eo cui armorum cura commissa est) in unum contrahere, et prætoris appellatione decorare. Est enim hoc nomen quasi jure patrio romani imperii proprium, et ante ipsos etiam Coss. in ampla Romanorum republica usui habitum. Nam veteres Romani suos imperatores prætores appellabant, simulque illis præbebant, ut militaribus prærent copiis, et descriptis ab illis præbant legibus, et prorsus erat hic magistratus ex ambobus temperatus, præ se ferens et ostentans tam in instruenda acie robur, quam in ferendis legibus rectum et decentem ordinem.

CAP. I.

Quoniam igitur propositum nobis est etiam hic utramque administrationem in unam contrahere, propterea optimo illi jure prætoris appellationem imponimus, ut una cum prætoris appellatione audientium animis insonet ipsius quoque magistratus substantia ac natura, et quod non simplex sit, nec ad unam aliquam rem tantummodo (nempe vel arma, vel leges) respiciat, sed simul utrumque ad se munus ex æquo attrahat, quodque per copias militum vehemens et robustus, per legem lenis et mansuetus sit: et per hanc causam maleficis quidem vehementiorem, probioribus vero civiliorem se et moderatiorem exhibeat. Neque hoc sine causa agimus, aut solam appellationem attendimus, sed ex usu ac necessitate magistratus quoque metimur. Nam fortes ea regio viros habet, neque in ullo differt ab Isauria in medio, ut quæ mediterranea, aprica,

N. 8.

Tit. IV. — ¹ N. 8, § 20. — ² c. N. 24, c. 1, post med.

equorum altrix existens, tum multos viros, tum multos equos enutriat: magnus quoque in ea numerus est magnorum pagorum, et virorum ad equitandum, ad sagittandum, ad animos sine negotio et celeriter excitandos, ad arma promptè tractanda, denique tam ad militare imperium forte aversandum, quia illorum status privatam ipsis fortunam et solis civilibus magistratibus subditam adscribit, quam ad hoc rursus, *civile scilicet*, contemnendum, quia soli obtemperare legi, quæ non item strenuitatem quandam adjunctam habeat, audacioribus formidabile est, idoneorum. Hæc nos permoverunt ut hunc quoque magistratum, quemadmodum apud Pisidas fecimus, coadunatum redderemus, et nostro apposito nomine prætoris ei appellationem inderemus. Volumus etenim et hunc prætorem Justinianicum Lycaoniæ appellari, quomodo sane et Pisidiæ, et aliorum. Deinde utramque etiam cohortem in unam contrahimus, et cui *civilis*, et cui *militaris magistratus præfuit*, ac *prætorianam illam appellamus*, constituendam ex probatoriis, more solito, ex sacro libellorum scrinio, ex quo olim et duciani eas ferebant procedentibus mensuramque illius ad centum usque virorum numerum extendimus, et utriusque magistratus annonas, illi assignamus, sed et adessori et reliquis. Quæ quidem ex subjectis sacræ huic nostræ constitutioni descriptionibus clara faciemus. Habeat item adresponsum, sive *apocristarios*, ut inter milites omnia recte gerantur atque ordine: adeoque et aliis eum militibus qui per dictam provinciam stationes agunt, imperitare sancimus.

CAP. II.

Mitemus sane, qui id officii suscepturus est, unum aliquem de probatis, et de numero nostrorum procerum, unde et olim prætores procedebant, suisque laboribus adornabat rempub. nunc residentes in solo Italico, nunc proficiscentes ad loca forensia. Ac talis quidem semper sui ipsius memor, et unde illi hæc administratio accesserit, venerandum se præbeat subditis, horrendum latrocinantibus et maleficis, omnia majore cum fiducia peragens. Neque dubium quin puris utetur manibus, quandoquidem et officium gratis suscipit: et alioqui lex nostra nuper a nobis lata, omnibus omnino magistratibus in ipsa descriptis, præcipit ut manus contineant (qua de causa et juramentum præstant) et secundum leges nostras diducant, omnemque æquitatem et justitiam subditis impertiant. Eo pacto cum reipub. suæ statum veteres Romani exornarent, omnibus, aliis rebus publ. potiti sunt. Quis enim hunc magistratum non revereatur simul et horreat, videns duplici eum forma excubias agere, tum ut quæ lex jubet, facile ordinet, tum vero, si quid de lege violetur, ut hoc armis corrigat? — § 1. Quibus autem de rebus prætorem Pisidiæ in lege quæ de ipso conscripta est, appellavimus, de iisdem pulchrum putavimus et hunc appellare. Oportet enim ut cum undique gratuitum hoc officium suscipiat, ab omnibus, et ipse sordibus alienissimus sit, his solis contentus, quæ fisco præstat, prout jam ante de præsidialibus officiis lata lex disserit, ut item in rebus gerendis sincerum et justum se præbeat, ac quo modo administrationis ratio permista est, ita et ipse harmoniam animi sui nunc acutiorebus et intentis, nunc lenioribus et remissis sonis contemperet. — § 2. Odio quoque habeat et puniat omne adulterium, ad hæc homicidium, sed multo his vehementius raptus virginum. Cæteros etiam maleficos, si quidem incurabili morbo laborant, citra exceptionem puniat: si vero mediocriter, ad meliorem frugem transponat. Insuper neminem improbe agentium revereatur; etsi dives, etsi majore aliqua dignitate præditus sit; propterea enim de numero præstantiorum electum ipsum mittimus, ut pro sua potentia necesse non habeat cuiquam alii attendere, quam nobis et legibus secundum quas et ipse judicet, et subditos vitam instituere procuret.

CAP. III.

Sed neque socordia se dedat, neque alicui injuriam faciat, ne ejus provincia homines cui præ est, propter injurias illic acceptas, regionem suam relinquat, et continue nobis hic facessant negotia. Quin ipse prius audientiam his quæ ad eum referuntur, præbeat, eaque disciplet: et usque memor honoris quem illi detulimus, ita administrationis laboribus se exerceat, ut laudem inde, et a rationibus gesti magistratus reddendis dicendaque causa immunitatem consequatur. Illud certo sciens, quod si quis nos adeat referens domesticam sibi rem incommodis affectam esse, siquidem expertus apud eum, jus suum obtinisset, hunc ipsum sine aliquo dato responso remittimus: si vero cum prius ad ipsum retulisset, deinde non obtento jure suo, ad nos decurrat, tunc non illi nos in posterum, sed ei qui magistratu fungitur, iudicium constituemus, et quemadmodum ampliorum ei honorem reddidimus, ita et si socordia eum se

S. d. N. 24. — 4. d. N. 24. c. 4. — 5. N. 3. c. 7. — 6. N. 24. N. 31. c. 3. — 7. L. 13. pr. de offic. præsid. — 8. N. 24. c. 2. — 9. pr. Inst. de offic. judic. — 10. N. 24. c. 5. — 11. d. N. c. 1. in fin. — 12. L. 13. D. de offic. præsid. — 13. N. 24. c. 3. L. 7. § 1. D. de offic. pro-

dare, et his quæ in ipsum contulimus, negligentius uti deprehenderimus, opem feremus legibus, et convenienti eum animadversione perseque-mur: et quemadmodum ille neque verba nostra neque leges, neque formam et gradum magistratus veretur, ita neque nos ipsum verebimur, sed perinde ei obviabimus, ut et ipse rerum administratione utetur: et sive sordidis eum manibus uti, sive ad effectum aliquem respicere, sive leges nostras transgredi deprehenderimus, nos vigore legis ad facti sui rationem reddendam, eum sistemus: neque enim ut subditos servaremus, pecuniis aut quippiam aliarum rerum quæ nobis suppeterent, pepercimus.

CAP. IV.

Oportet præterea ipsum providere, ut omnia recte atque ordine fiant in civitatibus, et primum quidem ut civitates sub ipso collocatæ, seditio-nibus careant ex omni parte æquitatem conservans, et summo studio prospiciens ne nimium subditis indulgeat, et frena relaxet. — § 1. Deinde neque opera in civitatibus negligat, ne per hanc causam diminuantur, vel aquarum ductus, vel ipsorum pontium transitus, vel murorum munitio, vel cura itinerum, sed omnia reficiat, aut saltem ad nos referat, ut partim ex civilibus ea rebus, partim nostra liberalitate queant reficere. — § 2. Neque item committat ut exactoribus qui a nostris hinc proceribus commeant, sit in aliquo damnum subditis nostris inferendi licentia, aut ut hi subditos nostros gravent qui consuetas illas jussiones adferunt, quæ olim ad subversionem eorum qui mediocriter vitam instituerant, de thronis tuis procedebant, nunc injungentes murorum reparationes, nunc curam itinerum, nunc imaginum, pontium, portuum, aqueductuum publicorum renovationes, locorum denique publicorum ablationes, et ædium quasi in solo non justo ædificatarum demolitiones, et id genus alia magis ad nectendas calumnias expedita: sed ipsemet hæc ad animi sui curam revocabit, omnia peracturus absque dispendio. Si vero nobis visum fuerit majore eam rem inspectione indigere, sacra pragmatica forma utemur, *quam sane et ad tuum magistratum, si videbitur, mitemus*, qua secundum ipsum alteri quoque hanc inquisitionem injungamus. Ita aliquando respirabunt subditi, ita denno efflorescent civitates, ita qui eas incolunt, magnum incrementum capient, neque de patriis sedibus diffugient rerum suarum incolatum propter præsidium improbitatem quasi terreatulentum aliquod metuentes.

CAP. V.

Scire igitur oportet excellentiam tuam, quod unus et simplex hic magistratus, non duplex futurus sit, ut omnia quæ fisco utriusque prius officio præbebat, ea secundum descriptionem sacræ huic nostræ legi subjectam, tam ipsi det, quam circa ipsum versari solitis, et cohorti ejus: quemadmodum et hactenus præbita sunt. — § 1. Et publicorum tributorum exactio ipsi simul et obtemperantibus ei prætorianis cohortalibus incumbet: habeatque utriusque officii insignia, tametsi plurima militaria sunt: tamen et in vehiculo sedebit argenteo, et præcedet ipsum securis, (nam et hoc consularis imperii signum est) similiter et fasces ipsi cum solennitate præbunt: observabitque eum universus exercitus, qui per eam provinciam stationes habet, cui curæ erit, ut et latrocinia resecat, et injuria affectis optuletur, et subditos nostros mansuetos inter se et modestos reddat. — § 2. Sed neque comitibus permittit, ut ad publica tributa annuant, animamve adjiciant. Sed et inter spectabiles ipse collocabitur, tametsi qui eam administrationem susceperit: majoris forte sit dignitatis, si quidem dignatio eorum, qui provincias regunt, talis futura est, qualem nos ad quamque administrationem idoneam fore judicaverimus. Ipsum vero, propter imperium quod gerit, conveniens est inter spectabiles numerari, inter quos et proconsules et comites Orientis, Galatiæ et Phrygiæ sunt. — § 3. Unde et ipse causis quæ in ejus moventur provincia, tam pecuniariis, quam civilibus et liberalibus, audientiam præbebit, uti id genus magistratibus licet. Appellationes quoque contra ejus sententias interpositas examinaunt hic ex more qui jam pridem in spectabilibus magistratibus obtinuit, tam gloriosissimum sacerorum nostrorum prætoriorum præfati, quam gloriosissimus quæstor, (prout jam inde ab initio traditum est) eo quod alter jam magistratus civilis factus sit admistis legibus, quas etiam in ipsa arma imperium habere volumus.

CAP. VI.

Secundum legem nuper a nobis positam, si quæ causa inter provinciam suam mota, quingentorum aureorum quantitatem non excedat, quæ per provocationem deinde a suo transferatur iudice, de hac non Pacatiana Phrygiæ comes (ut prius diximus) sed ipse cognoscat, elsi

cons. — 14. N. 17. c. 4. § 1. — 15. d. c. 4. in pr. — 16. c. 3. supr. hic: N. 24. c. 3. — 17. d. N. 24. c. 4. — 18. d. N. c. 4. in fin. — 19. Adde L. 4. C. de legib. — 20. N. 24. c. 5. — 21. N. 3. c. 2.

ex delegatione, sive nostra, sive alicujus gloriosissimorum nostrorum procerum causa alicui commissæ sit, modo propter rationes quas nuper in constitutione de appellationibus lata præscriptis spectabilis, non sit: et causæ finem imponet, non (ut olim) post etiam huc mittendæ, ne ob parvas occasiones magnorum ea res dispendiorum subditis nostris ansam præbeat. Hæc autem et nos illi manifesta faciemus. Siquidem studio habet potentia nostra, non tantum ut administrationis signa eis ex codicillis (quos vocant) præbeamus, qualia spectabilibus magistratibus attribui solent, sed etiam ex mandatis principibus, quæ veteres olim principes et leges responsa præsidibus edita vocabant: quæ cum nos descripsissemus, jussimus in sacro nostro reponi laterculo, ut inde semper una cum codicillis præbeantur magistratibus: ac hi quidem ipsum conferant officium, illa vero dirigant administrandi officii rationem. Cæterum ex descriptione quæ sacræ huic nostræ legi subjicitur, clarum erit tum quid ipsum, cum deligitur, occasione codicillorum officii præstare conveniat, tum etiam quod ipsi simul et adessori, ac cohorti ejus et publico erogabitur. Sed et si quos vicinarum ei provinciarum præsidibus circa tributariam rationem negligentibus invenierit, non alium emittes, sed ipsos spectabiles præsidibus fatigabis, ut vicinarum provinciarum præsidibus si socordia se dedant, imminceant, et procurent, quo magis ea omnibus in publicum modo inferant.

EPILOGUS.

Præsentem itaque legem nos quidem sacrarum nostrarum constitutionum volumini jussimus inseri: ipse vero ea suscepta, omnia ex illius præscripto agas, immortalem perpetuo beneficii nostri memoriam præ se ferentis.

Oportet Lycaoniæ prætori in hunc modum præberi. Ipsi quidem annuarum capitulum et reliqui solatii nomine, solidos CCC; ejus adessori, solidos LXXXI; ejus cohorti, aureos LII. Rursus oportet eum præbere spectabilibus chartulariis sacri cubiculi per causam codicillorum, solidos IX; primicerio clarissimorum tribunorum notariorum et laterculensibus, solidos XXIV; ejus adjutori, solidos III; cohorti gloriosissimorum præfectorum pro jussionibus et omni alia causa, solidos LX.

TIT. V.

DE PRÆTORE THRACIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXVI.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Joanni gloriosiss. sacerorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsul et patricio.

PREFATIO.

Illud in confesso est, quod si quis Thracum regionem nominet, statim una cum dicto virilitas quædam animus, et militarium copiarum, bellorum ac pugne cogitatio subeat. Sunt enim ista ingenita et quasi patrio quodam jure huic regioni attributa. Itaque et prius a nobis suscepta est cogitatio redigendi in meliorem statum ea quæ illa loca conceraunt, et hoc tempore de his quæ longo jam agitavimus consilio, præsentem legem tulimus. Duos sane vicarios nomine ad Longum murum sedere omnes scimus, quorum alter militares cohortes regit, (est enim magna vis militum eo in loco) alter præfectus est negotiis civilibus. At cum ambo vices, illic impleant, hic quidem gloriosissimorum præfectorum, ille vero magnanimorum magistrorum militiæ, nunquam tamen inter se consentiunt: sed tametsi suas univice fisco annonas separatim suppeditat, et alia præbet solatia, nihilominus unum hoc sibi negotii perpetuo et indesinenter sumunt, ut contentiones inter se immortales exercent.

CAP. I.

Recte igitur atque ordine visum nobis est hic quoque facere, quod pud alias gentes, quanquam non ita efferas, non ita militaris custodiæ indigentes fecimus: et ut non hic quidem civilibus negotiis præsit, ille vero inter milites et solos imperitet, utrumque officium in unum contrahere et præficere ei loco gravem aliquem et reverentia dignum magistratum, qui ex æquo tam civilia illic negotia curet, quam de venusto et decenti ordine militum sollicitus sit. Nam qui provinciam moderat, is in aliis versatur locis, vix illis sufficiens. — § 1. Si vero horum locorum custodia, omniumque rerum per ea loca administratio, et in bonum or-

22. N. 17. — 1. N. 3. c. 15. § 25. — 2. d. N. 3. c. 15. § 5. — 3. N. 24. N. 25. — 4. Adde L. 2. § 2. D. de orig. jur. — 5. N. 17. — 6. N. 8. — 7. N. 24. — 8. N. 25. — 9. Tit. 5. post

dinem collocatio, tum etiam militia bono aliquo viro indiget, et qui idonee tam milites possit excolere, quam imperitare ex lege: quod tandem illi nomen ex vetustate accommodatum imponemus? aut quam appellationem amplexi, hunc gerenti magistratum aptabimus? an vero re ipsa manifestum non est, quod quemadmodum Pisidiæ rector, et summus Lycaoniæ magistratus a nobis nominatus institutusque est, ita et hic prætor nominabitur assumpto pietatis nostræ cognomine? Nam si prætor Romanorum imperatoris simul et legislatoris locum in sua republica tenuit: in confesso est, quod nihil perinde hujus magistratus appellationem deceat, quam nomen prætoris. Siquidem et militum copias reget, et paganos subditos non paucos habebit, quibus ex nostris legibus jus reddet. Denique tam civiles res, quam militares in iis locis bono aliquo viro indigent. Nam et anterioribus temporibus semper quidam militares viri in summis constituti dignitatibus, tam militaribus illic copiis præbant, quam cæteris auxilio erant, quamvis non milites, sed pagani existerent. Barbarorum enim excursiones non mediocri opus habent præsidio. Quæ vero illis concernunt, ea committi debent uni alicui, qui secundum leges ipsis præire possit, cum multum intersit inter rectum et perversum ordinem: et omnibus perspicuum sit, quod militaris quidem res si sola et per se consistat, ultra quam deceat, efferatur audacia: civilis vero, nisi aliquid se consistat, ultra quam deceat, efferatur auctoritate careat: utrumque vero si in idem cum altero concurrat omnium perfectissimum et absolutissimum sit, quodque tam ad gerendum bellum, quam ad tuendam pacem sufficiat.

CAP. II.

Ideoque hujus etiam provinciæ officia copulantur, et prætor hic Justinianeus Thraciæ nuncupator. Signa vero magistratus a nobis erunt tam codicillis hinc procedentes in forma cæterorum spectabilium magistratum, quam monita quædam imperialia, rationem explicantia, quæ provinciæ administrationem perficiat, quæ majores nostri mandata principis nuncuparunt, cum quibus in provinciis proficiscentes, qui eas sortiti erant, inde quid factum opus esset, accipiebant. Atque ea res semper et pulchre excellens habita est, magnumque nominis splendorem prætoribus addidit apud plurimas reipublice nostræ gentes, et maxime Occidentales, a quibus progressi Romani totum (pene dixerimus) Septentrionem, et Meridiem, et multo maximam Orientis partem suo adiecerunt imperio. Quæ igitur in dicta a nobis lege de provincialibus officiis scripta sunt, quæ item de prætore Pisidiæ et Lycaoniæ disserimus, ut et ipsi gratis hic designentur, et gratis se vicissim subditorum nostrorum commodis exponant: omnibus manifesta sunt. In universam enim jam imperii nostri ditionem lex prodiit, et apud omnes vulgatissima facta est. Descriptum sane et jurandum est, quo magistratus nostros conveniat, cum officia suscipiunt, animam suam devovere Deo, et tueri subditos nostros in æquitate et justitia, ab omnibus sordibus, inimicitias, et gratia remotissimos. — § 1. Cæterum cohortales ei non ultra centum apparebunt, habeatque tam civilis quam militaris officii insignia. Insuper aderit illi etiam adresponsum, propter copias quæ illic resident, in quas plenum habeat imperium, et quodvis cum illis ad utilitatem reipub. et attendandi et perficiendi licentiam. — § 2. Publicorum præterea per illa loca tributorum exactio, tum ipsum, tum cohortem ejus respiciet: et tota cohors prætoriana appellabitur, hinc edendis et ex sacro epistoliarum scrinio prodeuntibus, probatoriis constituenda, unde tales olim probatoria vicariana quoque cohors ferebat.

CAP. III.

Curæ autem habeat, primum quidem, ut a donis et muneribus puras conservet manus: deinde ut omnem æqualitatem subditis nostris tam publice quam privatim exhibeat, et litigantibus, et inter se contrahentibus, quo omnem ab ipsis controversiam depellat. Item ut milites quidem bellicis exercitationibus meliores et alacriores efficiat, paganos vero per legem componat, ut justis, et ab omni improbitate et malitia immunes reddantur; quo magis hi quidem ad justitiam, illi vero ad virtutem et fortitudinem progressus faciant: et si belli causa aliqua fiat excursio, facillime hanc expedit, utraque cohorte præsentem, illa quidem alteri subministrante in iis quæ civiles cohortales deceat, copiis vero militariibus citra tergiversationem hostiles insultus propulsantibus. — § 1. Oportet insuper, ut etiam in causis, sive hæc pecunias, sive crimina, sive aliud quiddam concernant, audientiam præbeat, et recte secundum leges nostras, et absque omni affectu judicet, ne alicui inde excurrentes, nostram inquietent potentiam. Neque enim volumus ut collatores nostri

N. 8. — 10. N. 24. c. 21. N. 25. c. 1. in fin. — 11. d. N. 24. c. 4. — 12. L. 6. § 3. D. de offic. præcons. — 13. Fac. L. 19. D. de offic. præsid.